



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **UIJONGBUENSIS** \* IN COREA NOVA  
CONDITUR DIOECESIS UIJONGBUENSIS APPELLANDA. Animarum saluti pro Apostolico Nostro munere consulere  
cupientibus easque aptioribus subsidiis cumulare, visum est Nobis supplices preces excipere quibus petitum est ut,  
quodam archidioecesis Seulensis in Corea detracto territorio, nova exinde erigeretur dioecesis. Huic favente rei  
Venerabili Fratrem Ioanne Baptista Morandini, Archiepiscopo titulo Numidensi et in Corea Apostolico Nuntio, facultatem  
facimus tale inceptum ad rem adducendi. Quapropter, sententiam excipientes Patrum Congregationi pro Gentium  
Evangelizatione praepositorum, Nostra de Apostolica potestate, haec quae sequuntur decernimus. Pars septemtrionalis  
territorii archidioecesis Seulensis, vulgo *Northern Kyounggi* cum urbibus *Uijongbu, Koyang, Kuri, Namyang, Paju,*  
*Tongduchon-Yangju, Yeonchon*, ab archidioecesi quam diximus abstrahimus et ex iis novam dioecesim *Uijongbuensem*  
appellandam erigimus ac constituimus. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe vulgo *Uijongbu* statuimus  
templumque ibidem exstans Deo in honorem Sacri Cordis Mariae dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis  
ecclesiae evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae in orbe catholico cathedrales  
ecclesiae fruuntur. Novam erectam dioecesim Uijongbuensem metropolitanae Ecclesiae Seulensi suffraganeam facimus  
atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam declaramus. Cetera vero secundum canonicas  
leges adimpleantur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Morandini, quem supra  
memoravimus, delegamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum  
subdelegandi. Re tamen ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro  
Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud  
Sanctum Petrum, die quarto et vicesimo mensis Iunii, anno bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

CRESCENTIUS card. SEPE

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Laurentius Civili, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCVI (2004), n.11, pp. 717-718 © Copyright 2004 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana